



**R. P. Sebastiani Izquierdo Alcarazensis Societ. Iesv Regii
Senatvs S. Inqvisitionis Hispaniarvm Qualificatoris, Et
Olim Complvti Sacræ Theologiæ Professoris. Opvs
Theologicvm, Iuxta atque ...**

Vbi De Essentia Et Attribvtis Divinis Vbertim Disseritvr ...

Izquierdo, Sebastián

Romae, 1670

Quæst. 4. Quid debeat poni ex parte conditionis, & quid ex parte
conditionari, vt veritas obiectua conditionata sit cog[n]oscibilis à Deo.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77011](#)

conditionatam huiusmodi effectum nullum decretum Dei actu existens necessarium sit. Quemadmodum enim ad hanc veritatem conditionatam, *Si Petrus existeret, peccaret;* non est necesse quod Petrus actu existat; sed sat est, quod supponatur in hypothesi existentia eius: tametsi peccatum essentialiter ab ipsa existentia dependeat. Ita nec est necesse, quod detur actu in Deo decretum essentialiter requisitum ad existentiam talis peccati, sed satis est, quod illud pariter in hypothesi supponatur. Ex quo manifeste consequitur contra Alvarez, & suos, estō necessarium esset ad veritatem determinatam futuri conditionati decretum connectens conditionem cum illo, non debere huiusmodi decretum esse iam actu in Deo, prout ab eis adsurrit; sed sufficere, quod illud supponeretur in hypothesi simul cum conditione. De quo plura dicenda infra quest. 7.

48 Ex quibus patet ad ea, quae obiectiebantur. Quo pacto conditionata contingua titulo entium creatorum, subindeque veritas eorum possint a decreto Dei dependere, quin aliqua praedeterminatio ad illa ex parte causarum ponatur. Quomodo etiam propositiones, quibus eorum existentia enunciatur, vera sunt, aut falsa determinate independenter a connexione conditionis cum conditumato. Quomodo denique eorum veritas, vel falsitas non sit necessaria, sed contingens, atque adeo subiecta arbitrio Dei. Addo, quando huiusmodi conditionata sunt negativa, nullo decreto Dei egere, sed tantum omissione decreti impeditio illorum iuxta ea, qua de absolutis dicebamus quest. illa 3, citata.

49 Denique obiectiunt S.Tho. opus 48. tract. de Enunciatione cap. 14. post medium. Vbi docet, ad veritatem conditionalis propositionis requiri, quod consequens necessarij sequatur ex antecedente. Id quod prius tradiderat etiam Boetius in lib. 3. Periherm. pag. 5. in secunda editione. Respondeo, hos Doctores dum taxat loqui ibi, ut ex contextu constat, de conditionali illatuum, cuius portissimum apud Dialecticos habetur ratio, ut pote qua si la nobis in vita est, dum scientias humanas acquirimus medio discursu. Vnde S.Tho. subiungit. *Et inde est, quod omnis conditionalis vera est necessaria, & omnis falsa est impossibilis:* quia, *et dictum est, terminus consequentis necessario sequitur terminum antecedentis.* Quod certe de conditionalibus futurorum contingentium, quas passim habet Scriptura, non diceret Doctor Anglicus: quia ista non possunt vocari necessaria absolute, nec earum contradictiones in possibles. Cetera, que hic opponi possent, quest. 7. opponemus, & diluemus.

50 Ex dictis in hac questione constat, omnes obiectum conditionatum seu necessarium, seu contingens, quod per propositionem conditionalis seu illatuum, seu non illatuum, eamque aut causalem, aut purē coniunctivam enunciatur, determinate verum, aut falsum esse circa omne decretum Dei actuale necens cum ipso conditionato conditionem, sub qua enunciatur. Quia, quotiescumque propositione determinate vera, vel falsa est veritate, aut falsitate formalis, non potest non pariter eius obiectum verum, vel falsum esse veritate, aut falsitate obiectiva, ut constat. Sed enucleamus minutijs veritatem hanc obiectuum huiusmodi conditionatorum.

QVAESTIO IV.

Quid debeat ponи ex parte conditionis, & quid ex parte conditionati, ut veritas obiectiva conditionata sit cognoscibilis a Deo.

V Eritatem conditionatam obiectivam, quemadmodum & propositionem conditionatam, cui correspondet, in quatuor species dividimus supra quest. 2. nempe in illatuum, causalem solū, illatinam simil, atque causalem, & purē coniunctivam. De quibus singulis singillatim in hac quest. agendum est, praesuppositis tamen nonnullis, que possunt omnibus quatuor esse communia.

Primo enim est supponendum, conditionem veritatis conditionata bitariam posse ponи in hypothesi, sive apprehendi apprehensione constitutivam hypothesis. Primo per se scorsim. Secundo prout connotantem aliud quidpiam. Quemadmodum obiectum bifariam potest iudicari. Primo per se scorsim. Secundo prout connotans aliud, iuxta doctrinam statutam supra disput. 23. quest. 4. num. 106. & 1a pe alias repetitam. Vnde fit, ut, sicut iudicium affirmativum expressum, sive formale de uno obiecto prout connotante alterum nequeat non esse iudicium tacitum, sive virtuale de connotato, prout loco citato ostensum est, ita hypothesis positiva expressa, sive formalis de uno obiecto prout connotante alterum nequeat itidem non esse hypothesis tacita, sive virtualis de connotato. Nam sicut affirmare expressè per iudicium, existere A coniunctum cum B, est tacite affirmare, etiam existere ipsum B; ita supponere expressè per hypothesis, existere A coniunctum cum B, est tacite supponere pariter, existere ipsum B; ut satis per se notatum est. De hypothesis autem negativa vnius obiecti prout connotantis alterum perinde itidem philosophandum est, ac de iudicio negativo vnius obiecti prout connotantis alterum locis citatis philosophati sumus. Applicet Lector huc doctrinam traditam ibi.

Hinc sequitur supponendum secundum, ad hypothesis veritatis conditionata omnia ea pertinere, quae vel directe, atque aetate expressæ, sive formaliter, vel de connotato, atque adeo tacite, sive virtualiter supponuntur per illam. Sub eorum enim omnium hypothesis perinde venit iudicandum conditionatum, ac si ea omnia directe, expressæque, sive formaliter posita essent in ipsa hypothesis. Tacitum quippe, & expressum, sive virtuale, & formale omnino sunt aequivalentia, quoad rem attinet, ut satis ex se est manifestum. Vnde sequitur, ea etiam omnia per conditionatum connotari, taciteque subinde per iudicium de conditionato ipso affirmari; qua ratione diximus supra quest. 1. a num. 8. per conditionatum connotari, per iudiciumque conditionati tacite affirmari conditionem, sub eius hypothesis est iudicabile, sive iudicandum venit conditionatum ipsum.

Tertiò sequitur supponendum, quando conditionatio veritatis conditionata cum alio quopiam connessa est, eti nequeat ea ponи in hypothesis, quam

qui terminus connexionis eius aliquo modo cognoscatur, quatenus nulla relatio potest cognoscari sine termino suo, nullatenus tamen debere talen terminum ponit in hypothesi, adhuc tacite, seu virtualiter, sed sat esse, quod illa extra hypothesim apprehendatur simpliciter. Sicut ad iudicandam relationem connexionis non opus est, quod iudicetur terminus eius, adhuc tacite, seu virtualiter, sed sufficit, quod apprehendatur simpliciter, ut supra disput. 23, quæst. 6. num. 143. & 144 ostendimus. Vbi dicimen attinet ad rem inter terminum relationis, & terminum connotationis exhibimus, hic a Lectore recognoscendum. Vnde sit, ut per iudicium de conditionato ne tacite quidem affirmetur terminus connexionis conditionis; sicut affirmatur quivis terminus connotationis eius iuxta dicta suppositione precedente.

55 Quartò ex doctrinis citatis sequitur supponendum, ut iudicetur conditionatum prout conexum cum aliquo obiecto non pertinente ad suam hypothesim, nullatenus tale obiectum debere iudicari, adhuc tacite, seu virtualiter, sed sat esse, quod illud apprehendatur simpliciter extra hypothesim. Si vero conditionatum prout connotans aliquod obiectum non pertinens ad suam hypothesim iudicetur affirmatiue, tale iudicium tacita erit affirmatio de tali connotato, vnde, ut sit verum, necesse erit, quod ipsum connotatum se ipsa sub eadem hypothesi verum sit. Aliud est de iudicio negatiuo conditionati iuxta doctrinam generalem statutam disput. 23. quæst. 4. num. 106. iam citatum.

56 Quinto est supponendum, conditionem bifariam in super posse ponit in hypothesi. Primo cum precisione ab ambobus extremis cuiuslibet contradictionis. Secundo prout coniuncta cum altero eorum. Quanquam enim ambo cuiuslibet contradictionis extrema nequeant realiter simul elefere; cum sit impossibile, quidam realiter neque esse, neque non esse, iuxta principium euidentissimum itaturum in nostra Pharo Scientia disput. 9. quæst. 5. proposit. 1. proutque propterea repugnet, ut aliquid realiter habeat esse, & tale esse non sit realiter coniunctum, sive associatum cum uno, vel altero ex extremis cuiuslibet contradictionis. At per intellectum sive creatum, sive diuinum bene potest quidam quoad quodcumque suum esse reale cum præcisione ab ambobus cuiuslibet contradictionis extremis concipi, atque adeo ponit in hypothesi, aut etiam iudicari; per actum videlicet tendentem in illud præcise, neque curantem de coniunctione reali eius cum uno, vel cum altero extremo talis contradictionis. Sic, licet Petrus non possit realiter esse existens, quin sit realiter coexistens aut Ioanni, aut negationi Ioannis; bene tamen potest concipi aut per hypothesim, aut per iudicium existens; quin concipiatur merito talis actus coexistens aut Ioanni, aut negationi Ioannis. Pariterque de huiusmodi ceteris censendum est.

57 Sexto denique possumus hic supponere ex dictis quæst. precedente, dicendi que fuisse inferius quæst. 7. ad veritatem conditionatam continentem, quæ eo ipso non illativa debet esse, nullum decretum Dei prædefinitum requiri, prout multi ex Thomistis prætendent, quod aut existens actu, aut positum in hypothesi connectat conditionem, alias indifferenter, cum contingente conditionato. Vtrum autem aliquod aliud alterius generis decretum Dei ad omnem veritatem conditionatam sit requisitum? & qua ratione, ex

dicendis in hac questione constabit. Id prorsus certum est, aliunde, quam à decreto prædefinitivo Dei, habere multas conditiones cum suis conditionatis esse connexas: quia id habent per suas essentias, ut cernitur in his, *Si existere unum, existentes extrema unita. si existentes actio, existere terminus eius, &c. in alijs similibus.* His positis, sit.

Propositio 1.

Ad veritatem conditionatam non est 58
necessaria, quod conditio à conditionato
distincta sit aliquo modo.

Hæc propositio mihi est certissima: nec vi-
deo, quo pacto ab aliquo ea negari possit. Con-
statque aperte ex dictis supra quæst. 1. à num. 7. Vbi statuimus, quamlibet conditionem non solum posse verè iudicari iudicio expresso sub suam hypothesi, sed necessariò iudicari semper tacite per iudicium expressum de suo conditionato. Vnde sequitur necessariò, quodiesunque iudicium conditionatum est verum, non posse non sub hypothesi conditionis utrumque esse verum, conditionatum videlicet, & conditionem ipsam. Itaque cum hoc oratio, *Si Petrus existere, Petrus existet,* propositio sic circa omne dubium affirma-
tiva, verisimileque enuncians, exiturum Petru-
m, si existere: necesse est, ut obiectum eius veritas sit conditionata. In qua conditio, & conditionatum idem omnino, diteiso tamen modo conceptum est; ex parte videlicet hypothesis ap-
prehensionis suppositiū, ex parte autem conditio-
nati verissime iudicatum, seu affirmatum. Quæ
quidem veritas, et si minus propriè sit illativa,
coniunctiva, & causalis; quia idem, propriè lo-
quendo, nec secum connexum est, nec secum con-
iunctum, nec ad suum esse conducens; hæc tam-
en omnia suo modo habet, quatenus neque condi-
titio sine conditionato esse potest, neque conditionatum potest à conditione separari, neque sine illa potest existere. Quorum primum ad sensum illati-
vum, secundum ad coniunctivum, & tertium
ad causalem reducitur.

Propositio 2.

Impossibilis est respectu Dei condi- 59
tionata veritas, cuius conditio sit una formali-
tatis præcisæ, conditionatum autem
altera identificata cum primâ. Respectu
vero nostri talis veritas possibilis est.

Ratio est. Quia, ut constat ex doctrina tradita disput. 23. quæst. 6. num. 151. & postea se-
pe repetita, Deus, utpote perfectè intuitu cun-
cta compiciens, nec per simplicem apprehensionem conditionis, nec per iudicium conditionati potest attingere cum præcisione unam formalitatem, & non aliam; sicuti nos possumus, dum res cognoscimus abstractiue. Apud Deum quippe
una, & indivisiibilis entitas unica est, & indivisi-
bilis veritas: et si apud nos abstractiue cognoscen-
tes multiplex formaliter esse possit.

Ex quo sequitur contentanea ad doctrinam elicitam ex isto principio disput. 24. quæst. 2. nec posse Deum conditionate iudicare unam ex suis relationibus personalibus sub hypothesi alterius

pre-

præcise sumptis; sed oportere, ut tam ex parte hypothesis, quam ex parte conditionati totas Deus representetur adæquatè, si Deus se ipsum conditionate judicat, ut verè, mea quidem sententia, indicat iuxta dicta dij. ut. 26. quæst. 3. Vnde rursus efficitur, quidquid nos de eadem re indubitate conditionate indicamus præcisè indendo formalitates, quarum alia ex parte conditionis, alia ex parte conditionati se habent, à Deo per unicum prorsus iudicium conditionatum-judicari, posita indubitate re tota tam ex parte hypothesis, quam ex parte conditionati iuxta doctrinam proposit. 1.

Propositio 3.

51 Ad veritatem conditionatam illatianam solum, atque adeò non causalem, ea omnia, & sola debent ex parte hypothesis ponni, quæ ad connexionem conditionis cum conditionato intrinsecè spectant.

Nam, quemadmodum ad inferendum consequens absolutum ex antecedente absoluto, non solum prænoscit debet ex parte antecedentis, ipsum habere esse, sed insuper, ipsum esse connexum cum conseqüente; atque ita ex parte antecedenteris ponni debet, quidquid ipsum cum conseqüente facit connexum, prout supra disput. 23. quæst. 3. num. 78. tet gimus ex dictis latius in Pharo Scient. dispu. 2. quæst. 5. Ita ad inferendum consequens conditionatum ex antecedente posito in hypothesis, ut per propositionem conditionatam solum illatianam infertur, conditione, quæ vicem antecedenteris habet, non tantum quodcum simum esse, sed etiam quoad connexionem, quam habet cum conditionato, est concipienda ex parte hypothesis, seu per hypotheticum supponenda, atque ita in ipsa hypothesis ponenda sunt, quocunque huiusmodi connexionem intrinsecè constituant. Quod autem ea sola, & non alia ponni debent ex parte hypothesis, inde fit manifestum: quia, quemadmodum sola connexio, atque adeò sola constitutiva eius absolute posita infertur connexionis terminum absolute; ita sola connexio, atque adeò sola constitutiva eius per hypothesis supposta infertur connexionis terminum conditionate. Ad veritatem autem conditionatam solum illatianam dumtaxat spectat inferre sub hypothesis conditionis terminum connexionis eius, ut est, notissimum.

62 Pro pleniore tamen intelligentia huius propositionis primò aduertendum est consentanea ad dicta supra quæst. 2. num. 1. 8. veritatem conditionatam solum illatianam duplum esse. Alteram simpliciter talem. Alteram talem secundum quid. Simpliciter talem appello, quando ita est verum conditionatum sub hypothesis conditionis inferentis illud, ut non sit etiam verum contradictorium eius. Quod evenit quoties conditionatum alias est absolute verum. Secundum quid autem talem dico, quando vtrumque contradictorium sub tali hypothesis verum est; vii evenit, quoties conditionatum alias non est absolute verum. Quibus duabus tertia veritas conditionata solum illatia est ad denda præscindens ab utraque; qualis interuenit quando ex hypothesis conditionis sumptis præcise verè indicatur conditionatum, præscindendo ab eo, quid sit, aut non sit etiam verum eius contradictorium. Quod autem den-

tur istæ tres veritates; tum ex dictis loco citato confat; tum facile ostenditur. Quod primam, quicem: quia, quoties absolute est verum, conditionatum habere esse, non potest non esse id etiam verum sub hypothesis conditionis connecta cum illo, atque adeò non auferentis, sed ponitis supponentis tale esse, ut est manifestum. Quod secundam autem: quia, quoties absolute est verum, conditionatum non habere esse, sub hypothesis conditionis connecta cum illo, & nullatenus influens in illud, nequit non esse simul verum, & illud non habere esse; quia in casu hypothesis conditionis nullatenus influens in illud non daret illi esse, quod alias non habet; & illud habere esse; quia tale esse necessario supponitur à connexione conditionis. Quo fit, ut pro tali casu conditione prorsus sit impossibilis. Vnde non mirum, qd sub eius hypothesis verificetur duo contradictionia simul, ut sub hypothesis cuiusvis chymera impossibilis semper verificantur, ut demonstrauimus in Pharo Scient. dispu. 1. De quo, præter dicta supra quæst. 2. num. 18. & dicenda tum circa proposit. 5. tum quæst. sequentia plura tradenda sunt inferens dispu. 3. quæst. 5. Quod tertiam denique veritatem inde ostenditur dari illam; quia conditione cum conditionato connecta essentialiter supponit esse illud, quandocunque ea est. Ergo ex hypothesis, quod sit illa præcise, nequit non esse judicabile verè, & illud esse etiam præcise, hoc est, præscindendo ab eo, quod sit etiam, aut non sit verum eius contradictorium. Ceterum, quia præcises ita per intellectum dumtaxat sunt iuxta dicta suppositione quinta, non potest non esse hæc tertia veritas præcisa conjuncta re ipsa cum una, vel altera duarum priorum: quia nequit esse conditionatum verum sub hypothesis conditionis, quin re ipsa vel sit etiam, vel non sit verum eius contradictorium; cum sint hec contradictionia extrema, quorum alterutrum dari debet re ipsa. Est tamen notandum, diuisio nem veritatis conditionata solum illatia in talem simpliciter, & talem secundum quid in positivam tantum veritate, non item in negativam locum habere. Veritas quippe conditionata solum illatia, quancum est negativa, semper est simpliciter talis, ut ex dicendis infra circa proposit. 5. constabit. Quare de sola positiva veniunt intelligentia, qui in hoc §. & num. 62. dicta sunt.

Secundò aduertendum est, licet ad veritatem conditionatam solum illatianam sat sit, ex parte hypothesis ponni id, quod connexionem conditionis cum conditionato constituit, ei tamen non obstat, quod adjiciantur aliqua alia, dommòd hæc non constituant causam efficaciter dampnum esse conditionato; nam hoc in casu veritas eius non solum illatia erit, sed simul illatia, & causalis. E. g. hæc veritas est illatia solum, si Deus reuelaret peccatum Petri, Petrus peccaret: atque etiam hæc, Si gallus cantaret, & Paulus dormiret, & Deus reuelaret peccatum Petri, Petrus peccaret. Tame si secunda habeat ex parte hypothesis, præter integrum constitutuum connexionis conditionis cum conditionato, quod tantum habet prima, & est sola Dei reuelatio, galli cantum, & Pauli somnum: eoquod conditio secundæ ex omnibus hisce tribus compacta perinde atque conditio primæ, quæ est sola reuelatio, ita infert conditionatum, ut nullo modo sit causa eius. Hæc tamen veritas, Si Petrus tentaretur tentatione A, & Deus reuelaret peccatum eius, Petrus peccaret. Et illatia solum, & illatia simul, atque causa-

causalis esse potest. Erit illativa solum, si in casu hypothesis tentatio A non efficax, sed sufficiens tantum causa foret peccati Petri; eo quod Petrus per illam ad peccatum impulsus ei non succumberet, sed resisteret, & non peccaret. Illativa autem simul, atque causalita erit, si in casu hypothesis tentatio A causa efficax foret peccati Petri; coquid Petrus per illam ad peccandum impulsus, ei consentiret, & peccaret. Similiterque de alijs similibus philosophandis est.

64 Tertiò denique est aduertendum, si constitutio connexionis cum conditionato adjungatur ex parte hypothesis aliquid ipsi conditionato oppositum, fore ut sub tali hypothesis, ut pote conditionis chymicarum, utrumque contradictionis extreum sit illatiu verum. Sic sub hypothesis quod existet revelatio Dei de peccato Petri, & simul actus fidei supernaturalis de carentia talis peccati, quod coniunctum prorsus repugnat, verum conditionare est, extitum, & non extitum simul ipsum Petri peccatum. Pariterque in similibus. Nonnulla alia de veritatisbus conditionatis illatiis venient dicenda inferius circa proposito.

Propositio 4.

65 Ad veritatem conditionatam causalē solum, atque adeo non illatiu, non semper necesse est, quod ponantur ex parte hypothesis omnia, quae insinuant, siue concorrrunt ad existentiam conditionati: potest enim hoc plerunque iudicari vere sub hypothesis vnius, aut duorum, aut plurium illorum cum præcisione à reliquis. Interdum tamen, ut iudicetur vere, omnia illa simul ex parte hypothesis ponenda necessariō sunt.

Prior pars huius propositionis contra aliquos Recentiores est, afferentes, quacunque immediate concurredit ad causandum effectum siue ut causa, siue ut conditiones causandi, ea omnia, debere semper ponit in hypothesis, ut vere iudicetur effectus conditionate in sensu causalē: atque ita tacite supponi, quotiescumque propositione causalē ea omnia non exprimit. Vnde, cum dicimus, Si Petrus vocaretur vocatione A, consentiret, cetera omnia, quae vna cum vocatione A ad consensum Petri concurredit, sub hypothesis talis propositionis subintelligenda esse, ceteris, ut illa sit vera. Ego vero, ut huius sententia falsitatem, & veritatem vtriusque partis mea propositionis ostendam.

66 Suppono primō, hoc differre veritatem causalem ab illatiua, quod in illatiua connexioni, qua illatio nititur, ex parte hypothesis ponitur, ut vidimus proposito. In causalē vero causalitas, a qua sumit appellationem, ponitur ex parte conditionati. Sensus enim huius causalis, Si extiterit ignis, existet calor, est, si extiterit ignis, calor existet dependenter ab igne; seu, calor causalabit, siue dependebit ab igne; seu, ignis causalabit calorem; scilicet, calor existet, simul & causalitas, siue dependentia eius ab igne. Quae omnia in idem recidunt. Ix quo vnum valde notandum infertur. Conditionalem causalem à pure coniunctiva eo solum differre, quod in causalē sub hypothesis conditionis duo ponuntur eidem conditioni

coexistentia, effectus scilicet, & causalitas, qua effectus ipse dependet ab ipsa conditione. In pure autem coniunctua sub hypothesis conditionis aliud quidam à conditione independens ponitur eidem conditioni coexistens, sive coniundum. Quae sane diuersitas materialis est, nec modum variat enunciationum conditionalium: cum sit diuersitas orta solum ex diuersitate naturæ eorum, quæ sub hypothesis conditionis ipsi conditioni coexistunt, sive cum illa continguntur.

67 Suppono secundō ex doctrina tradita supra disput. 23. quæst. 4. num. 106. idem obiectum prout subest alijs pluribus, seu prout connotans illa plures constitutre veritates pluribus iudicij iudicandis, etiam à Deo. Quod verum est, sive tale obiectum cum alijs, quæ connotat, connexum, sive ab eis absolutum sit. Distincta quippe veritas est, Petrus coexistit Ioanni, atque, Petrus coexistit Paulo. Similiter distincte veritates sunt iste, Actio A procedit à Deo, sive, Deus agit actione A, ab ipsis, Actio A procedit à creatura, sive, Creatura agit actione A. Sicut & iste, Entitas A oritur ab agente, & agens media illa agit, distincta ab his sunt, Entitas A recipitur in passo, & passum mediā illa patitur. Quarum omnium veritatum distinctio à sola sumitur distinctione connotatorum. Quoniam autem omnes obiectum conditionatum non alter, quem prout subest sua conditioni, sive prout connotans illam sub ipsius hypothesis est indicabile, vt supra quæst. 1. num. 6. dicebamus; consequens est, ut quodus obiectum conditionatum tot valeat veritates conditionatas constituere, quot sunt conditions, sub quarum hypothesis, atque adeo prout illas connotans vere illud iudicabile est. Est autem sepe sapientiū iudicabile vere tum sub hypothesis aggregati multorum siorum obiectorum, tum sub hypothesis singulorum, aut aggregatorum minorum contentorum in illo. Pro cuius explicatione, quod attinet ad veritates conditionatas causales, de quibus modo sermo est.

68 Suppono tertio, effectum conditionatum, tunc esse conditionatē verum, non solum sub hypothesis aggregati eorum omnium, quæ ad ipsum causandum concurredit, sed etiam sub hypothesis singulorum, aut aggregatorum minorum contentorum in illo, quando sub hypothesis cuiusvis ex singulis, aut ex minoribus aggregatis cetera conditionatē sunt vera. Quando tamen ē contra ita est effectus conditionatē verus sub hypothesis aggregati omnium ad ipsum concurrentium, ut sub nullis eorum, aut aggregati minoris hypothesis cetera sint vera conditionatē, tunc effectus sub vnicā hypothesis totius dicti aggregati erit verus conditionatē, vnicamque subinde constituit veritatem causalē. Est autem sermo in vitroque casu de aggregato omnium ita ad effectum concurrentium, ut, eis omnibus existentibus, ille etiam existeret, & quouscunq; eorum deficiente, ille etiam deficeret. Explicemus hæc per exempla. Sit conditionatē verum, extitum effectum A, si existerent causæ B C D E, & quouscunq; earum deficiente, non extitum; (v.g. extitum actum amoris A, si existerent voluntas B, & cogitatio C, & habitus D, & decretum Dei concurrendi E, & non extitum, deficiente quouscunq; istorum). Dico primō, si sit etiam conditionatē verum, extituras causas C D E, si existeret causa B, non posse non esse quoque conditionatē verum, extitum.

O effe.

effectum A, si existet præcisè causa B. Est claram. Quia, supposito, quod, existentibus B C D E, existet A, & existente B, existentes B C D E, necesse est, ut, existente B præcisè, existet A. Ob eandemque rationem verus erit effectus A sub hypothesi solius C, vel D, vel E, si sub eadem hypothesi sint veræ reliquæ cause tres. Tum verus erit effectus A sub hypothesi aggregati ex B, & C, vel ex C, & D, vel ex B C D, ceterisque combinationibus, si sub eadem hypothesi fuerint verae causa residua. Vnde patet effectum A tot veritates conditionatas causales constituere posse à distinctione conditionum connotatarum distinctas inter se, atque adeò distinctis iudicis iudicabiles, quot sunt possibles hypotheses aut unius, aut plurium, aut omnium suarum quatuor causarum, sub quibus tum ille, tum causa residua vera conditionata sit. Iam sit rur sua conditionate verum, extitum effectum A, si existent causa B C D E, &, quavis earum deficiente, non extitum. Dico secundò, si sub nullius earum, aut aggregati minoris hypothesi sunt conditionatae verae causa residua, sub nullius earum, aut aggregati minoris hypothesi esse conditionatae verum ipsum effectum. Est etiam claram. Quia supposito, quod, deficientè quavis ex causis B C D E, non existet effectus A; & ex hypothesi causa B non sit verum, extituras reliquæ tres, & consequenter verum sit, earum aliquam defecutam, necesse est, ut ex hypothesi causa B non sit verum, extitum effectum A, sed potius sit verum, non extitum. Tantumdemque de ceteris comparationibus venit dicendum. Vnde patet, effectum A in hoc casu unicam tantum veritatem conditionatam causalem constituerem posse, qua sub hypothesi aggregati omnium dictarum quatuor causarum existentia eius vera est. Per quæ satis perspicue manet probata vtraque pars propositionis: neque alia eger, probatione.

69 Modò ex dictis infertur primò, quoties multæ causæ ad existentiam effectus conditionari ira-
concurrunt, ut, eis omnibus existentibus, ille
etiam existet, &, quavis earum deficiente, ille
etiam deficeret, eas, quæ sub hypothesi aliarum
conditionatae verae sunt, tum positas ex parte hy-
pothesi, tum positas ex parte conditionali posse
conferre ad veritates conditionatas talis effectus;
eas vero, quæ sub hypothesi aliarum conditionatae non
sunt vera, positas tantum ex parte hypothesis. Quæ
autem ex parte conditionati ponibile frater, tum
similcum effectus conditionato per idem iudicium,
tum seorsim per diuersum iudicabiles erunt.

70 Secundò infertur, decretum Dei essentialiter requiritum ad existentiam tam conditionatam, quam absolutam cuiusvis creature, atque adeò inrer causis cuiusvis effectus positivum recessariò connumerandum, tunc ad veritatem conditionatam eius tam ex parte hypothesis, quam ex parte
conditionali positum conferre posse, quando illud conditionate est verum sub hypothesi unius, aut plurium ex alijs causis, quæ simul cum illo concurrunt ad talen effectum; quando vero ex nullius earum hypothesi verum conditionate est, positum dumtaxat ex parte hypothesis poterit ad veritatem conditionatam effectus deferire.

71 Porro ad omnem veritatem conditionatam, cuiuslibet entis creati esse essentialiter requiritum aliquod Dei decretum, certissima, & concors Theologorum sententia est; à qua nullus Nostro-

rum unquam recessit; quidquid dixerint aliquando nonnulli Thomistarum. Dum enim Nostrum decretum prædictum Thomisticum, aut etiam quodvis aliud actualiter, & absolute existens ad eiusmodi veritates conditionatas, negant, requiri, neutiquam dicunt, aut censent, quidpiam crea-
tum sine aliquo decreto Dei posse veram existen-
tiā aut absolutam, aut conditionatam habere;
censent tamen, & dicunt, ad veritatem existentia
conditionata sit esse, quod tale decretum aut ex
parte hypothesis, aut ex parte conditionati ali-
quo ex predictis modis ponatur: quin actualiter,
& absolute existens sit. Vti iuxta sententiam om-
nium evidenter evenit alijs causis: quæ, cùm
actualiter, & absolute existentes non sint perinde,
ac decretum diuinum, requisite sepe sunt
essentialiter ad veritatem conditionatam enī
creati. De quo plura dicenda venient infra-
quest, 7. Quale autem debet esse decretum Dei
concurrenti cum causa libera; ut huius libertas
cum illo indennis coherere possit, aliaque incom-
moda ventur, in tract. de Prouidentia Dei discu-
tiendum à nobis est.

Duo supersunt aduertenda. Primum. Quæ
diximus de aggregato causarum ad eundem ef-
fectum conditionatum concurrentium, pariter es-
se intelligenda de aggregato tum causarum tum
conditionum causandi positivarum, negativa-
rumque, in quibus censetur negotiationes impedi-
mentorum ex parte causarum requisite. Secun-
dum. Requisitorum ad existentiam conditionati
alia esse determinare talia; sine quibus determi-
nate sumptis veritas talis existentie conditionata
scire non potest. Ala esse talia vagè, sine sub di-
finitione, quatenus existentia conditionata, at-
que adeò veritas conditionata, quis ita ab his pen-
det, cum hisque stat, ut ab alijs similibus horum
loco subrogatis pariter dependeret, cum eisque
pariter staret. E. g. ad existentiam peccati Petri,
atque adeò ad veritatem conditionatam eius vo-
luntas Petri determinata est requisita: scis ten-
tum determinata A: sed vel A, vel B, vel
alterutra. Pariterque in similibus.

Propositio 5.

Ad veritatem conditionatam illati-
um simul, & causalem ex parte hypothesis
omnia illa ponit vel debent, vel possunt,
quæ vel debere, vel posse ponit, diximus,
tum ad veritatem conditionatam illati-
um solum proposit. 3. tum ad veritatem
conditionatam causalem solum proposit. 4.

Hæc propositio, cum ex duabus præde-
tibus composita sit, per ea, quæ in ambarum
probationem adduximus, simul sumpta sufficien-
ter manet probata: nec alia indiget probacione.
Siquidem, quæcumque probant, dari duas par-
tes, ex quibus solis totum componitur, eo ip-
so probant, dari totum. Debent tamen pro-
pliore intelligentia sensus huius propostio-
nis adiungi etiam illi, sua scruta proportione,
quæcumque ei conuenient ex adjunctis duabus
prædictibus. Quod facile quisque præstare
poterit.

Vnum præterea est adnotandum, condi-
tionem veritatis conditionata illariæ simul, &
causalis duplē esse posse. Alteram, quæ secun-
dum idem est, aut totale, aut partiale sui se cau-
set

set conditionatum, & inferat illud. Alteram, quæ secundum vnam partem sui causet conditionatum, & secundum aliam ab illâ adæquatè diffinctam inferat illud: atque ita in primo casu causa conditionati intrinsecè sit cum illo connexa, atque adeo sua natura determinata ad illud causandum; in secundo vero causa conditionati absolute sit à conditionato, atque adeo indifferens natura sua ad illud causandum, vel non causandum. Exemplum prioris casus sit hæc veritas, *Si Petrus predeterminaretur qualitate physica ad amandum, amaret.* Posterioris autem hæc, *Si Petrus induceretur ad amandum cogitatione A, & Deus revelaret eius amorem, amaret.* Quomodo autem non possit effectus esse liber, quando causa immediata eius intrinsecè est connexa cum illo, inferius dis-

put. 30. quæst. 5. probandum est.

75 Porro, cùm sermo in propositione sit de veritate conditionata, quæ simul sit causalis, & illativa eiusdem conditionati; dubitari hic potest, an sit etiam dabilis veritas conditionata, quæ sit causalis vnius ex extremis contradictionis, & illativa alterius. Atque ita talis, vt ex eius hypothesi vtrumque extrellum contradictionis sit simul verum; vt aliquando est ex hypothesi illativa solùm, & non causaliter iuxta doctrinam supra statutam circa proposit. 3. num. 62.

76 Censeo, non esse dabilem veritatem conditionatan, quæ simul sit causalis vnius ex extremis contradictionis, & illativa alterius, si extrellum causandum sit positivum, & inferendum negativum: benè tamen, si vice versa extrellum causandum sit negativum, & inferendum positivum. Quod vtrumque vt ostendam, suppono duo principia latè mihi probanda inferius disput. 30. quæst. 5. Primum est. Quando actus positivus cause A cum actu seu positivo, seu negativo cause B connexus est, nequit causa A euadere proximè potens ad talen actum sine iuamino, & influxu cause B. Secundum est. Quando actus negativus cause A cum actu negativo cause B connexus est, (cum positivo quippe nequit esse connexus), benè potest causa A euadere proximè potens ad talen actum sine iuamino, & influxu cause B. Quoniam scilicet veritas conditionata de existentia sine contradictione termini sub conditione existentia actus cum eo connexi, per quam iuxta dicenda ibidem compleetur in utroque casu potentia proxima cause A, in primo quidem ab influxu cause B est dependens: in secundo vero non item.

77 Ex primo horum duorum principiorum, probo priorem partem meæ assertioñis. Quia, si que veritas conditionata causalis extreli contradictionis positivii, & illativa negativi dabilis esset, maximè ea, in qua yna cum causa efficaci alicuius actionis poneretur ex parte hypothesis aliquid connexum cum negatione talis actionis. Sed hæc non. Ergo nulla. Catera patent. Probo minorem. Sitque A causa, quæ ponitur esse efficax alicuius actionis connexumque cum negatione talis actionis, ponendum yna cum causa A in hypothesis ad veritatem conditionatam, de qua tractamus, constituendam sit effectus, vel actio causa B. Et arguo sic. Hoc ipso, quod actio causa B connectitur cum negatione, sive omissione actionis causa A, ipsa actio causa A connectitur cum omissione actionis causa B, vt est certum. Ergo iuxta principium primum nequit esse causa A proxime potens ad suam actionem absque influxu cause B media omissione suæ actio-

nis praestando. Ergo ex hypothesis, quod deficit talis influxus causa B, necesse est, quod deficit talis potentia proxima causa A. At hypothesis de existentia cause A, & simul de existentia actionis causa B alia non est ab hypothesis de existentia causa A, & simul de defectu influxus causa B praestandi media omissione suæ actionis in complementum potentia proxima causa A. Ergo ex hypothesis quod simul existant causa A, & actio causa B, necesse est, quod causa A existat sine potentia proxima ad suam actionem, & consequenter impossibile, quod talis actio à tali causa sub tali hypothesis procedat. Vnde concluditur, ex hypothesis, quod simul existant causa A, & actio causa B, non posse esse verum conditionate, extitram simul, & non extitram actionem causa A, extitram quidem causaliter, & non extitram illativa. Repugnareque proinde vniuersæ veritatem conditionatam, quæ simul sit causalis extreli contradictionis positivii, & illativa negativi.

78 Declaremus hoc per exemplum. Quoniam enim hæc propositio sit causalis, & vera, *Si Petrus sonaretur, peccaret;* hac non erit causalis simul, & illativa, atque adeo vera quoad vtrumque contradictionis extrellum; *Si Petrus tentaretur, & Deus revelaret, eum non peccaturum,* Petrus peccaret simul, & non peccaret; sed quoad alterum erit falsa: atque adeo vera hæc, non tam causalis, sed illativa solam, *Si Petrus tentaretur, & Deus revelaret, eum non peccaturum,* Petrus non peccaret. Quoniam, vt prima propositio sit vera, & causalis, tentatio Petri immunit debet poni in hypothesis ab omni impedimentoo peccati; qualiter non ponitur in secunda; eoquod reuelatio Dei de negatione peccati, cum qua conjuncta ponitur, impedimentum est potentie proxime Petri ad peccandum iuxta argumentationem factam, atque adeo & peccati. Quare secunda propositio in sensu simul causaliter, & illativa vera non est. Benè tamen tertia in solo illativo.

79 Probo iam secundam partem meæ assertioñis ex secunde principio. Iuxta quod, vt causa A reuerat sit efficax, atque adeo proximè potens ad omissionem connexam cum omissione causa B, nullo causa B influxu indiget; plenèque proinde haber in potentia sua tum suam omissionem, tum omissionem causa B citra nullum huius influxum. Quo fit, vt ex suppositione, quod causa A ad omissionem suam determinatur, vt adæquatè & plenè potest, per nullam aliam causam sit impedibilis talis eius omissionis, impossibleque consequenter sit omne cum ea incompatible. Vnde rursus efficitur, vt, si simul cum causa A (alioquin pro sua plenitudine potestatis revera omissionis) ponatur in hypothesis quidpiam inferens contradictorium omissionis, non possit non sub tali hypothesis vtrumque contradictorium esse conditionatè verum, omissionem scilicet veritate causaliter, & eius positivum contradictorium veritate illativa. Nec mirum, cum in tali casu tale quid cum omissione incompatible, & eius contradictorium inferens impossibile sit, vt pote nullatenus valens omissionem alias futuram impediens, aut (quod est idem) ad existentiam contradictorij eius quidpiam conferre.

80 Explicemus amplius etiam hoc per exemplum. Quoniam enim Petrus proximè potens ad non peccandum nequit non esse iuxta dictum.

principium secundum plenè etiam potens ad impedientiam revelationem Dei de suo peccato citram influxum ipsius Dei in omissionem talis revelationis; casu, quod Petrus ea sua plenitudine protestatis se ad non peccandum determinet, consequenter fit impossibilis talis Dei revelatio, utpote media qua nec potest Deus peccatum Patris, alias pro ipius arbitrio non futurum, inducere, nec talis peccati omissionem, alias futurum, impedit. Vnde, si semel verum sit, Petrum sponte suā non peccaturum ex hypothesi, quod tentetur, etiamsi ex parte hypothesi adiudicatur revelatio Dei de peccato, manebit id verum; quia revelatio adiecta nec dabit existentiam peccato, nec impedit carentiam eius in tali hypothesi; quia tamen illatua peccati est, insuper verum erit sub tali hypothesi, Petrum peccaturum. Atque ita sub integrâ hypothesi (de conditione in tali casu reuera impossibili) utrumque contradictionis extremum erit conditionate verum, negativum quidem causaliter, & positivum illatue. Quod erat ostendendum.

81 Hinc aduentum sequitur, dixisse nos supra proposit. 3. num. 62. tunc ex hypothesi conditionis connexâ cum conditionato, & nihil conductentis ad illud verificarci duo contradictiones, quando alias illud absolute verum non est: quia ibi tantum agebamus de veritate conditionata illatua solum, & non causaliter: quia veritate tunc solum sunt ambo extrema contradictionis vera, quando negativum alias est absolute verum, & positivum inferatur ex conditione. Modo tamen agimus de veritate conditionata causaliter unius, & simul illatua alterius ex extremitate contradictionis: quia veritate, etiam quando extremitum negativum absolute verum non est: quia causa efficacius eius absolute non extat; ambo nihilominus erunt simul conditionatae verae sub hypothesi complectente tum causam efficacem negativum, tum aliud quid connexioni cum positivo, atque adeo inferens illud, ut constat ex dictis circa secundam partem nostra assertio.

82 Ex dictis autem circa primam constat etiam, divisionem loco citato ad ductam veritatis conditionatae solum illatua in talem simpliciter, & talem secundum quid, dumtaxat in veritate huiusmodi positiva, non item in negativa locum habere, ut ibi etiam notauimus. Nam sub hypothesi conditionis inferentis conditionatum negativum in nullo euentu sunt simul vera ambo extrema contradictiones; utri sâpe sunt ex hypothesi conditionis inferentis conditionatum positivum iuxtam dicta. Etenim sub hypothesi, quod Deus revelaret, non extirum peccatum Petri, semper est simpliciter verum, peccatum Petri non extirum; sive existentia, sive non existentia eius sit alias absolute vera; & sive ponantur, sive non ponantur ex parte hypothesis una cum tali revelatione quaevis principia eius. Eò videlicet quod (ut ex doctrina data conatur) revelatio de negatione peccati Petri impedimentum est tollens è medio omnem potentiam proximam ad tale peccatum. Certum est autem, ex hypothesi, quod nulla potentia proxima ad tale peccatum daretur, verissimè illud atque simpliciter non extirum. Videantur plura ad rem dicenda disp. 30. quest. 5.

Propositio 6.

Ad veritatem conditionatam pure⁸³, coniunctiuam nihil amplius requiritur, quam, quod conditionatum hypotheticè coexistat, sive coniungatur conditioni: quæcumque demum sint conditio, & conditionatum.

Hæc propositio ex dictis haec tenus est manifesta. Quia, quod prout coniunctum cum altero, sive prout connotans alterum sub ipsius hypothesi est conditionate iudicabile, id verum conditionate est in sensu pure coniunctio. Quilibet autem sub cuiuslibet hypothesi est conditionatae iudicabile, quando alias illud est absolute verum, prout exponemus latè infra quest. 8. Vnde veritas conditionata pure coniuncta per omnia, alias vera absolute, seu positiva, seu negativa diuagatur. Spectare etiam subinde potest circa ea conditionata obiecta, qua illatua etiam, aut causaliter vera sunt, praescindendo ab illatione, & causalitate, ut ex dictis in praecedentibus etiâ est notum, magisque innoteat ex dicendis quest. 8.

Propositio 7.

Ad quodvis genus veritatis conditio. **84** natæ sola conditio debet ponni in hypothesi; non item id, à quo conditio dependet vel tanquam à causâ, vel tanquam à termino connexionis: nam ab hoc hypothesis præscindit. Cùm quo stat, debere aliter apprehendi omne id, ad quod conditio relata est.

Hæc propositio ex suppositionibus præmissis principio quæstionis, ex aliquo dictis circa præcedentes propositiones satis, superque nota est. Neque alia eget probatione. Itaque ex parte hypothesis huius veritatis, *Si Petrus præueniret cogitatione A, consentiret;* nec causa cogitationis adhuc essentiales, nec aliis quilibet terminis connexionis eius supponi debet. Vnde patet, nec decretum, nec scientiam, nec prouidentiam Dei, à qua talis cogitatio esset, ut esse posset, si daretur, ad hypothesis pertinere talis veritatis: ab eis enim omnibus hypothesis ipsa præscindit. Tantudemque censendum est de ceteris veritatibus conditionatis. Ex qua doctrina facile soluemus suo loco sophistima quoddam, quod à nonnullis fieri solet contra scientiam medianam.

Sed objici potest contra illam. Cogitatio illa **85** A e.g. nullatenus potest re ipsa existere sine aliquo decreto Dei, sine aliquo principijs sibi essentia libus. Ergo neque potest supponi re ipsa existens, ut in hypothesi supponitur, quin pariter in eadem hypothesi supponantur existentia dicta principia. Hac consequentia non parum viri possunt, qui putant, Deum non posse absolute iudicare, effectum existere, quin pariter eodem indicio judicet, existere causam, cum qua effectus essentia liter connexus est: nam, quod ad rem attinet, eadem est ratio de apprehensione ponente in hypothesis realem existentiam effectus, ac de iudicio absolute eius, iuxta id, quod dice.

dicebamus in simili supra num. 52. Me vero dicta consequentia non premit, qui censeo, necesse non esse, quod Deus per eundem actum judicet, aut aliter concipiatur simul eff. etum, & causam essentiam eius iuxta doctrinam vniuersalem de cognitione relatiuum, & connexorum, quam tradidi disput. 23. quæst. 6. & 7. Ex quo patet, nec per eundem actum, quo effectus a Deo ponitur in hypothesi, debere causam etiam poni, quantumvis ea, scientialis sit. Tametsi illa tanquam terminus connexionis effectus non possit non aut comitantur, aut antecedenter apprehendi extra hypothesim, per aliam scilicet apprehensionem simplicem non constitutuam hypothesis, secundum doctrinam etiam datam loco citato.

⁸⁶ Ceterum, quanquam nullus terminus connexionis titulo talis cum re connexa, cuius est terminus, debeat simul poni in hypothesi eius veritatis conditionata, cuius res sola sine termino, sive seorsim ab illo potest esse conditio; hoc non tollit, quoniam res connexa, & terminus connexionis eius simul possint poni in hypothesi pro alia veritate conditionata constituenda. Sicut res etiam non connexa modo sola, modo associata cum qualibet alia potest poni in hypothesi ad constitutas diuersas veritates conditionatas. Quod si associata, aut in hypothesi expresse, & ex quo supponente utramque rem induxit; aut in hypothesi supponente vnam earum expresse, & directe, & alteram ex connotato tacite, sive virtualiter iuxta dicta suppositione primâ factâ supra n. 52.

QVAESTIO V.

Vtrum Deus certò, & infallibiliter cognoscat obiecta conditionata necessaria. Et qua ratione.

⁸⁷ **S**ermo est de obiectis conditionatis necessariis necessitate conditionata conteniente ipsis ex hypothesi conditionis; sive illa alias absolute sint necessaria, sive contingentia sint, sive impossibilita iuxta divisiones factas supra quæst. 2. Agemus autem imprimis in hac questione de obiectis conditionatis conditionate necessariis necessitate metaphysicâ. Non nihil tamen deinde dicimus etiam de necessariis necessitate solitam physicâ, vel morali. Tametsi hæc, vt pote metaphysicâ, atque adeò simpliciter contingentia, ad sequentes potius questiones pertineant, quam ad presentem.

Propositio I.

⁸⁸ Omne obiectum conditionatum conditionate necessarium necessitate metaphysicâ quatenus tale omnino certò, & infallibiliter, perque scientiam metaphysicâ necessariam cognoscitur à Deo.

Ab hac Propositione nemo dissentit. Quia omne obiectum metaphysicâ necessarium quatenus tale eo ipso est necessitate metaphysicâ necessariò verum, atque adeò necessariò cognoscibile ab intellectu Dei, vt pote necessariò cognoscibili omnis obiecti veri. Vnde fit, scientiam Dei de obiecto metaphysicâ necessariò & metaphysicâ necessariam

esse quoad suam existentiam. Quia eo ipso, quod Deus est metaphysicâ necessitatus ad cognoscendum omne verum, (alio posset esse ignarus alio veri, quod ei repugnat), nequit non esse scientia Dei tam necessaria in sua existentia, quam eius obiectum in suo esse, atque adeò in sua veritate obiectu necessarium est.

Ceterum, quia veritas conditionata obiecti conditionati conditionate necessarij aut tantum illativa, aut tantum causalis, aut simul illativa, & causalis, aut pure coniunctiva considerari potest iuxta divisiones factas quæst. 2. & ubiexpli-
cas quæst. 4. oportet, vt de singulis hisce membris, quod ad propositum attinet, singillatim dicamus. Et primo, si veritas conditionata necessaria sit tantum illativa; equòd conditio cum conditionato connexa est, nullo tamen modo influens in illud, aut in eius contradictorium, tres casus sunt possibles. Primus, quando conditionatum est absolute necessarium; vt, *Si creatura est existens, Deus est existens*. Quo casu veritas conditionata cognita à Deo duplice titulo est necessaria; scilicet propter necessitatem absolutam conditionati, & propter conditionatam oriundam ex necessaria illatione conditionis. Secundus, quando conditionatum est absolute impossibile, atque adeò & ipsa quoque conditio cum eo conexa impossibilis est; vt, *Si Deus reuelaret, secundum Deum esse existentem, secundus Deus esset existens*. Quo casu necessario venit à Deo cognoscenda omnis contradictione extremonum ex tali hypothesi necessariò sequuta. Tertius, quando conditionatum est absolute contingens. Qui casus rursus in tres sub se contentos est dividendus. Primum, cum conditio, & conditionatum sunt res positiva. Secundum, cum conditio & conditionatum sunt negationes. Tertium, cum conditio est res, & conditionatum negatio. (Quartus quippe, in quo conditio sit negatio, & conditionatum res, non datur; eoquòd nulla negatio conexa est cum illa re; quandoquidem, nulla re existente, non posset non existens esse, quo pacto existens dici potest, omnis negatio). Et quidem in tribus istis casibus ex hypothesi conditionis semper, & necessariò est verum, atque adeò semper, & necessariò est à Deo cognitum conditionatum secundum se præcisè consideratum; quia illud vt sic semper inferat necessariò conditio. Quod tamen illud solum, secundumque à suo contradictrio, vel associatum, coniunctumque cum illo sit verum, & à Deo cognitum, in primo trium dictorum casum contingens est, vt pote ab arbitrio causa dependens, à qua liberè conditionatum ipsum venit oriturum: in alijs vero duobus casibus non item. Etenim, quando conditionatum est res positiva, vt in primo dictorum casum, si ea alias à sua causa libera absolute extirra est, ex hypothesi conditionis cum ipsa conexa erit conditionate verum, eam sine ino contradictrio, atque adeò simpliciter extirram; si tamen ea alias à sua causa libera non est extirra absolute, ex hypothesi conditionis cum ipsa conexa conditionate erit verum, eam simul cum suo contradictrio extirram, seu, quod est idem, eam extirram simul, & non extirrare extirram; quia id suapte essentia supponeret talis conditio: & non extirram; quia alias ea non erat à sua causa extirra, & conditio, vt pote nullatenus causativa eius, nihil ad existentiam eius conferret: quo fit, vt conditio pro tali casu prorsus sit impossibilis, ob idque ex hypothesi eius duo extre-